Opuscula

COLOSSVS
SAPIENTIÆ CORONATÆ,

Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. M. BASILIO PLASZCZEWSKI,

Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITO, Curato Nasiechovicensi, Contubernij Sisiniani

PROVISORI,

Super Basi meritorum, ac eruditæ Virtutis opere Palladis, & Famæ,

ERECTUS.

nec non

Ad Solennem diem, & actum, quô Sacræ Theologiæ DOCTOR, ritu festivo in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ Cracov. renuntiaretur,

A

M. SIMONE ANTONIO IEDRYCHOWSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore & Professore,

metrô clientali,

DELINEATUS.

Annô, quô

In terra BethLeM steterat DeVs Ipse CoLossVs.
Die 14. Ianuarij.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. & Reverendiss. Dñi Episcopi Cracov. Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novoduorscianarum Ordinarij Typographi.

Ex hoc Programmate.

MAGISTER BASILIVS PLASZCZEVIVS SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR & PROFESSOR CANONICVS CRACOVIENSIS.

Elicitur Anagramma purum,

(Z valet d s) I Vir zelose, ſume Laurus, ito ad Coronas, hîc, Coloſsi accreſcet Baſis, de feſto progreſsu, pagina canit,

EPIGRAMMA.

Alma Parēs nectit Laurus, videſq; Corymbos
Quêis decorat, cingens tēpora docta Virûm.
Auſpicijs fauſtis: *I Vir zelose,* capeſſe
Pro tantis meritis præmia, *ſume* Sacras
Laurus, ad celſas jam felix *ito Coronas*:
Quas dotes magnæ promeruêre Tuæ,
Hîc, meritis firmata *Coloſsi accreſcet* Olympo
Ampla *Baſis*, dignum fama loquetur opus:
Plaudens *de feſto progreſſu* in Culmen Honoris;
DOCTOR vive diu, *pagina* læta *canit.*

JOSEPHUS STRADOMSKI Dapiferides Kiioviæ
Scholæ Poëseos Alumnus.

COLOSSUS
SAPIENTIÆ CORONATÆ.

MAgnificum terris, cœlo vicinius alto
Quod consurgat Opus, canimus; formâq; decorâ
Præstet ab antiquo constructis turribus, amplos
Per fines mundi vasti, per Regna remota.
Hoc, Vatis genius tentat monstrare COLOSSVM;
Erectum meritis solidis, cujus Basis ingens,
Virtutis doctæ robur, Tua Laus NEO-DOCTOR,
Est animus sapiens, probitas rara, inq; COLOSSVM
Assurgit grandem, monstrat quem carminis umbra.
Plurima jam ducens vitam per sæcula mundus
Rara videt, stupuitq; videns miracula structa,
Artibus egregijs hominum, quæ tempore multo
Moliri studuit, cupiens antiquior ætas,
His excellere: non longo tamen exhilarabant
Prodigio, Sæclôrum tot spectacula tollens,
Tempus edax rerum consumpsit, glutijt alvus
Turgida limosæ telluris, vix locus exstat
Horum, quæ jactans Orbis miracula dixit.
Ingenio Phydiæ correspondens manus, arte,
Cælârat crebrò, doctè simulacra Deorum,
Ex eboris nitidi solido, fulvoq; metallo,
Eduxit statuam sub sidera Palladis almæ,
Et Iovis in celebri sublim ans Elide signum.
Sed perijt Phydias, perierunt tùm sua facta.
Delphica construxit Spintharus templa venustè,
Et Ctesiphon sani doctus faber ipse Dianæ
Præfuit: Hermonides non unâ claruit æde.
Pyramides Cœlo porrectas cernere curans
Præsumens oculus, Magnatum, divitis olim
Ægypti, latas fundans ad flumina Nili.

Prima fuit quarum, naturæ rupe cavatâ
Solius, nec non consurgens altera carô
Nunc lapidum pretiô, nunc fulvi sumptibus auri.
Quid memorem Regem Cleopem, quem sorte superba
Pyramis orbavit, bis denos structa per annos,
Objectum hoc præstans visûs, sua filia luxit.
Rudera Pyramidum tumulus sunt, robore fracto.
Celsa Pharos, turris sublimi vertice, clara,
Nocte viam erranti commonstrans ignibus altis,
Hanc pridem extinxit flammantem lampada tempus,
Æquavitq; solo turrim invidiosa vetustas.
Qvidve Semiramis impensâ conata superbâ
Præsentare diu studuit: cùm tolleret altùm
Mænia, quæ grandi Vastissima robore struxit,
Cocti bis lateres hæsêre bitumine juncti,
Ex his surgebant sublimes turribus arces.
Inter eas centum stabant portæ ære polito;
Ast collapsa iacentq; suis conclusa ruinis.
Mausolus nitido clarus post fata sepulchro,
Quod Regina superstes, multô condidit aurô,
Arbitrata Dijs servantibus, omne per ævum
Mansurum, superest quid busti grande videndum.
Si juvat & solis Rhodium meminisse COLOSSVM,
Dixeris: intactum semper fastigia summa
Erexisse, Iovis pridem jam stratus ab ictu,
Non tantùm motu terræ tremuit ruiturus,
Ast etiam fractus molli ipso concidit Austro.
Sic pereunt equidem mundi cum tempore structæ
Moles prægrandes, fatum quas fine resolvit
Heu tragico! summum nil firmum perpetuò stat.
Sæpiùs ast surgunt, multò feliciùs axem
Virtutis generosæ tot molimina tangunt.
Immo transcendunt radiantes ætheris orbes,
Credite: Magnorum celeberrima facta Virorum.
Quidvè nocere queunt Ædi Virtutis apertæ
Fulmina? tempestatum quid nimbosa procella;
Aufert innati Boreas Corusvè decoris?
Firmior illa manet, toti quò longiùs Orbi
Prostat: tùm nulli poteritq; subesse ruinæ.
Surgens in sublime Tuus documenta COLOSSVS
In

In protensa dabit qui robore sæcla, perenni,
Monstrat id effulgens virtutum luce nitenti
Magne Tuorum PLASZCZEVI excrescens meritorum
Ac operum cumulo, laudandorumq; laborum,
Æthereos orbes transcendens culmine celso.
Nam velùt in primo spargens sol Cardine Cœli,
Lumina parva priùs terris dat, postea tandem
Clariùs ipse nitet, gradibusq; ascendit in altum,
Collustrat radijs distantia climata mundi.
Sic Tuus excelsæ virtutis fulgor ad ortum
Iam primùm modicus, sed tandem crescere, visus,
Altior apparens, cæpit constare COLOSSVS,
Erexit quem mole visendâ gratia summi
Regnantis, Cœlum, terras, qui numine torquet.
Ne rueret quando iste COLOSSVS suppoluêre
Consentes superiq; faventes, consolidatam
Mactè Basim BASILI donantes Nomine magno,
Te conantem Doctoris vestigia Tanti,
Doctrinæ exprimere in solido Cœlestis & esse
Eximius DOCTOR, Divino lumine clarus
Dictis, & factis imitator vere Magistri,
Te juvit Divi præsens tutela Patroni,
Evexitq: Tuas dotes in culmen Honorum.
Sublimem erexit queis publica fama COLOSSVM.
Staret hic ut fixus, posuit fundamina prima
In studijs, labor Herculeus, solidumq; sciendi
Robur firmavit calamus, totiesq; relectus
Nocte dieq; Liber, quô sic Sapientia major
Ingeniumq; suis crevit velociùs annis.
Purpureo probitas morum laudataq; semper
Flore placens cunctis, tùm culta modestia pinxit
Effigiem observandam, mactè Viri Sapientis,
Nexu promeruitq; foveri publici amoris;
Dotibus e pulchris submissior indice sensus
Ingenio prudenti ne se quæreret extra,
Pulchriùs & meliùs contentum quid latet intra.
Talia dùm cernit proprium Regina per Orbem
Sceptra gerens, Cœlo cûi celso lata potestas
Arbitrioq; suô prudenti Numina terræ
Quam confirmârunt, donantia legibus illam.

Occupat hæc Lechicis erecta Palatia Musis,
Quævè videre velis insignia? cuncta videbis,
Huc oculos animumq; tuum qui vertis, & infers,
Sub sceptris; mitras, nec non diademata cerne,
Et Virides Laurus, redolentia aromata Phæbi.
Alma Parens (*inquam*) Cracijs quæ præsidet Oris,
Concludit; medijs firmam sociare Columnis
Penè Basim, digno condonans præmia digna,
Dùm serto viridi circumdat tempora læta,
Vt videat mundus Sapientûm pulchra COLOSSI
Ornamenta diu, Brumæ quæ cedere nulli
Constent. Iamq; Virum spectare libet; generosum
Ingenio, facilem studio, qui vertice præfert
Sertum, mox alio statuunt decorare Corymbo
Vota Patrum frontem doctam, nam munere niti
Doctoris meruitq; MAGISTRI Nomine claro.
Quantus in aurato digitorum fulgurat Orbe
Seu sit onyx, seu sit Iaspis, seu forte Smaragdus
Scintillansvè adamas millenis gratior ardet,
Lumina conjungens, non unâ luce quiescit.
Sic Tua continuo virtus sudata labore,
Venit in excelsum condigni Culmen Honoris,
Non uno fulsêre gradus conamine docto.
Approbat alma Parens Digni pro Stemmate Navim,
Absq; quiete tamèn, nam rarò conscia stare.
Assiduo motu transcurrens æquoris alti
Immensas celebris Doctrinæ dives abyssos,
Gnara nisi interdùm sub frondibus arboris altæ,
Et Viridis, fessam ventis, componere proram.
Divitijs Solidum fecisti Nave COLOSSVM
Fortunate Pater, meliùs quam Thessalus unquam
Ditaret Iason, perlustrans Colchica Regna.
Nam Tua vix structura suô fundamine sumptô
Crescere sub nubes voluit, mox hæc tulit omnem
Congeriem rerum, gazæ, fulviq; metalli.
Candor enim cordis niveus, semper fuit in Te
Purior argentô, qualis nec Lydia dives
Est, & candori similis quem terra beata
India, fert eboris, per mundi climata multa.
Auri materiem, quis spectet? cernet adesse
Illam

Tergeminâ radiantis Sacræ luce Coronæ.
Clarius ast gemmæ resplendent, umbra virentis
Laurûs, queîs, graciles concedit tegmine, frondes.
Sic nostro valeant gemmæ ut splendere COLOSSO:
Nunc sibi frondosum rursùm sociare Corymbum
Poscunt; & gaudent hujus jam mactè decore.
Quem nisi Divini meriti, Sapientia Summa
Consequitur; Mitrisq; parem se jactat, & ipso
Regum cum nitido certat diademate semper.
Illud promeritas Magnorum Nomine, frontes
Circumdat placidè, & re, justa lege Virorum,
Distinguitq; Status alios à Stirpe suprema,
Inter stelligeras trabeas cùm prima refulget.
LAVREA, quam meruit justè Sapientia summa,
LAVREA, sed cunctis præstantior illa Coronis;
Hæc ornare nisi viridi vult tempora fronde,
Quæ longo, Salsi, maduerunt tempore, largo
Profluvio sudoris. Talem Tu NEO DOCTOR
En hodie sumis; sequitur Quem Ternio Dignus
Magnorum meritis DOCTORVM, nuncq; Coronis
Talibus, ornatur jam jurè Quaternio Doctus.
Cumq; Tibi DOCTOR nova jam laus, & sacer instat
Qui Te poscit Honos, dùm certant publica vota,
In Tua Festa, calens, mea nunc, quoq; Musa precatur:
Sospitet, o utinam! Cœlorum summa Potestas,
Quod voluit frondente Caput circumdare Vittâ,
Virtus consummata gradu, Nomenq; perennet
Sacrâ Luce coronatum sublimè COLOSSO.
VIVAT Honos? Illustris Honos, mansurus in ævum.
Insuper erectum, curâ, dùm Palladis almæ,
Demonstrat tenuis, sed gaudens Musa COLOSSVM;
Hæc super aurato, decernit sculpere Verba:

Corruat hic nunquam firmus per sæcula cuncta Stans, & non timeat furibundi fulmina Cœli.

Conveniunt rectè, constructo Sceptra Colosso
Palladis est celsus; Palladis & gemina.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Dñi,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

I. V. Doctoris & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Crac. Canonici, in Niegardow & Przemykow Curati, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Roszczeviani, & Contubernij Philosophorum Provisoris, Studij Generalis Crac: Procancellarij &
RECTORIS VIGILANTISSIMI.

